MATTH. XII.	LVC. XI.
Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum	
generatione iſta, & condemnabunt	
eam, quia pœnitentiam egerunt in	
prædicatione Ionæ;	*ad prædicationem Ionæ;*
& ecce plus quam Ionas hic.	
Regina Auſtri ſurget in iudicio cum	
generatione iſta, & cōdemnabit eam,	*cum viris generationis*
quia venit à finibus terræ audire ſa-	*huius, & condemnabit illos:*
pientiam [e] Salomonis; & ecce plus	
quam Salomon hic.	
Cum autem [f] immundus ſpiritus	
exierit ab homine, ambulabat per	*de homine, perambulat per*
loca arida quærens requiem,	*loca inaquoſa*
& non inuenit.	*& non inueniens*
Tunc dicit;	*dicit;*
Reuertar in domū meam vnde exiui:	
& veniens inuenit eam vacantem,	*Et cum venerit, inuenit*
ſcopis mundatam, & ornatam.	
Tunc vadit, & [g] aſſumit ſeptem alios	
ſpiritus ſecum nequiores ſe,	
& intrantes habitant ibi:	*& ingreſſi*
& fiunt nouiſſima hominis	
illius peiora prioribus.	
Sic erit & generationi huic peſſimæ.	

ADNOTATIO.

A. Domus in vrbe Capharnaum intelligitur, intra quam interrogatus à quibuſdam Scribis & Phariſæis reſpondit Chriſtus.

B. Scribæ & Phariſæi malitioſe ſignum aliquod à Chriſto flagitantes, cui non erant credituri, etiam ſi plura feciſſet miracula quàm fecerat, vel eſſet facturus: & de cælo quidem petebant ſignum, ſimiliter atque Elias & Samuel fecerunt.

C. Chriſtus autem zelo ſpiritus ſui illis reſpōdet ſeuere pro illorum merito: Vos praui homines eſtis, & adultera generatio, (quo verbo tam priorem patrum, quàm ipſorum præſentem infidelitatem deſignat, vt inquit Chryſoſtomus.) Quare indigni eſtis ſigno alio, quàm quo confundamini. Eſto igitur vobis ſignum Ionas, ex cuius prædicatione ſunt conuerſi Niniuitæ: eſto Regina Auſtri, id eſt AEthiopiæ & Saba, quæ venit è terræ finibus, vt ſapientiam Salomonis audiret: & tamen videtis hic qui pœnitentiā, quā ſapientiam vobis prædicat maiorem Iona, ſapiētiorem Salomone, nec agnoſcitis: illi igitur vos condemnabunt in reſurrectione.

D. Ionas fugit à facie Domini in Tharſis, id eſt in mare incertum, vt nauigaret, modo à Iudæa fugeret. Quod (vt inquit Hieronymus in Ionam) magis conuenit fugitiuo & timido, non locum fugæ ocioſe eligere, ſed primam occaſionē arripere fugiendi. Cap. [illegible] *Conſcendit quidem nauim Ioppæ, excitata autem ſæua tempeſtate, ſuo conſilio in mare proiectus, ab ingenti ceto exceptus eſt, & triduo in ponto Euxino in terram expoſitus, vt refert Ioſephus ex Hebræorum commentarijs,* Lib. 9. ant. c. 11. *inde per Armeniam in Aſſyriam proximā regionem, & Niniuen peruenit. Certè ſi in Cappadociam, vel maiorem Armeniam eſt eiectus,*